

Sicque in perpetuum servari jubet.

Clemens Duodecimus An. IX., & X.

teras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversus illos aperi- tionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in violabiliter observari, sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judican- di, & interpretandi facultate, & auctori- tate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteraque contrariis quibuscumque.

Dat. die 24. Julii 1739. An. IX.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1739. Pont. nostri Anno IX.

CCLXII.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini super prohibitionem receptionis de Mulati, & Mestizi in Fratres Provinciae Mexicanae ejusdem Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

In Capitulo Generali Arminien. approbatum Decretum, quo cavetur recipi in Ordine Mulatos, & Mestizos.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius Padilla Frater expresse professus, & in Sacra Theologia Magister, ac Provinciae Mexicanae Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis nuper in Civitate Arminien celebrato inter alia Decreta a Ven. Fratre Nicolao Episcopo Ifelano tunc dicti Ordinis Magistro Generali condita, approbatum fuit illud tenoris, qui sequitur, videlicet: Cum compertum sit, summum dedecus nostrae Religionis inferri,

si ex ignobili vulgo ad illam admittantur, qui in saeculo suis inhonestis, & depravatis moribus despectum communem merentur, cujusmodi sunt omnes illi, qui vulgo Mulatos, & Mestizos, appellantur, nimirum indecens existimetur. quod isti Animarum Regimini incumbentes, superiorum sedes occupare sinantur; Stricte praecipimus sub poenis a nostris Constitutionibus 2. part. Cap. 1. n. 4. & 8. contra inhables recipientes, ut tales imposterum ad habitum Religionis non admittantur: Si vero contra hoc Decretum recipi aliquando contigerit, irritam, & nullam ipso facto receptionem, & Professionem fore declaramus: Non enim est animus Religionis illos admittere, & veluti filios habere, quos Respublica Saecularis tanquam infamia nota affectos contemnit, & ob propriam vilitatem ab officiis honorificis excludit. Quapropter omnibus in futurum Religionem ingressuris ante receptionem ad habitum, & Professionem, hoc nostrum mandatum notificari praecipimus. Similiter prohibemus dictos Mulatos, & Mestizos (si qui in dicta Provincia jam fuerint admitti) deinceps ad officia cum cura animarum assumi sub poenis ipso facto incurrendis nullitatis electionis, aut nominationis, & quoad eligentes, & nominantes, privationis vocis activae, & passivae per decennium, quod olim respective ad dictos mulatos praecipuum a nostro Praedecessore Fulgentio Travalloni in suis Decretis anno 1688. pro dicta Provincia expeditis.

§. 2. Cum autem sicut dictus Ignatius Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica Confirmationis nostra patrocinio communitur summopere desideret.

§. 3. Nos ipsum Ignatium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium, ac omnia, & singula in eo contenta a praedicto Nicolao Episcopo, & Magistro Generali condita, & a Capitulo generali praedicto approbata, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiciamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate, supplemus, & sanamus.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sic in praemissis per quo-

Procurator Gen. Ordinis hujusmodi Decretum petent confirmari.

Petitis annuit Clemens.

Praesentium Literarum firmitas.

Clemens Duodecimus An. X.

quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciae, & Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias nota affectos contemnit, & ob propriam vilitatem ab officiis honorificis excludit. Quapropter omnibus in futurum Religionem ingressuris ante receptionem ad habitum, & Professionem, hoc nostrum mandatum notificari praecipimus. Similiter prohibemus dictos Mulatos, & Mestizos (si qui in dicta Provincia jam fuerint admitti) deinceps ad officia cum cura animarum assumi sub poenis ipso facto incurrendis nullitatis electionis, aut nominationis, & quoad eligentes, & nominantes, privationis vocis activae, & passivae per decennium, quod olim respective ad dictos mulatos praecipuum a nostro Praedecessore Fulgentio Travalloni in suis Decretis anno 1688. pro dicta Provincia expeditis.

Dat. die 6. Augusti 1739. An. X.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Augusti 1739. Pont. nostri Anno X.

CCLXIII.

Confirmatio Centurarum Sixti V. ac nullarum Ordinationum pro Bibliotheca Vaticana Apostolica.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Studium Romanorum Pontificum in Libris conquirendis ad Religionis decus, & praesidium.

§. 1. Dignissimum Regibus ipsis ac Principibus, ethnice quoque superstitionis viris visam per omnes aetates, etiam antequam Evangelii lux in tenebris illuxisset, curam colligendi libros, & Bibliothecas instituendi, quo priorum temporum res gestas, & illustria vetustatis monumenta ab interitu eriperent, atque in longam ad factorum celebritati, hominum laudi, & exemplorum splendori, necnon instituendis populis consulendum posteritatis memoriam, eruditionemque propagarent; laudatissimo studio, & sollicitudine incredibili non modo adaequare, sed superare, etiam Romani Pontifices Praedecessores nostri adlaborarunt, atque in iis praeritum undique conquirendis libris, & Codicibus, qui ad Catholicam Religionis decus, praesidium, & incrementum conducere. §. 2. Quo factum est, ut Apostolica Bibliotheca ab iisdem non sine magnis sumptibus, & laboribus instructa, semper insignis post varias temporum vices, in Vaticanis demum aedibus, unde Vaticana pariter nuncupari cepit, collocata, atque ibidem a se. re. Sixto V. itidem Praedecessore nostro excitata a fundamentis elegantioris formae, ditiorisque structurae mole, in salubriorem splendidioremque locum translata, ceterarum omnium Bibliothecarum nobilissima, & celeberrima habeatur. Hanc quidem aliis Aulis, armariis, pluteis, Codicibus, libris, picturis per se. re. Paulum V., Urbanum VIII., Gregorium XV., Alexandrum VIII., & Clementem XI. pa-

Construenda Bibliotheca Vaticana.

Hac a Clemente XII. Aula Libris, Vasis scilicet Numismatibus, & certis preventibus aucta.

Bull. Rom. Tom. XIV.

riter Praedecessores nostros adauctam, haud excipiendis, & adservandis impressis Codicibus, quibus coemendis non mediocrem pecuniae summam nos quoque contulimus, satis esse considerantes, primum quidem alia insigni aula Armariis pluteisque constructis anno 1722. ampliavimus, deinde vero quamplurimis Haetruscae vetustatis scilicet vasis super armaria ipsa affabre dispositis ornavimus, tum etiam trecenta viginti octo aurea, argentea, & aerea antiquorum Graeciae, & Egypti Regum, ac RR. Imperatorum maximi moduli numismata suis singula ad majus spectantium commodum custodiamque securitatem mobilibus circulis aereis inauratis in nexa, in eadem Bibliotheca curavimus reponenda, tum demum octoginta scuta, monetae Romanae in singulos annos in perpetuum eidem Bibliothecae pro emendis Charta, Calamis, Pergamentis, aliisque hujusmodi necessariis rebus ab Apostolico Palatio nostro persolvenda assignavimus, ut pecunia illa, quae ex redditibus ex Abbatia eidem Bibliothecae addicta provenientibus exigitur, ad coemendos dumtaxat libros, & Codices erogetur, necnon praeterea quascumque expensas pro specularibus, Armariis, pluteis, clavibus, pavimentis, parietibus, tectis, portis, fenestris, ceterisque rebus tam in ipsa Bibliotheca, quam in aedibus eidem annexis, sive reparandis, sive de novo faciendis necessariis ab eodem Apostolico Palatio fieri mandavimus.

Pro firmiori ejus statu, atque ordine, nonnullas stabilendas leges decernit.

§. 3. Quoniam autem diuturna experientia compertum est, omnia, quae per summam industriam, maximos sumptus, assiduos labores comparata, ac providis etiam ordinationibus alias disposita fuerunt, saepe per hominum incuriam, ac temporum injurias, nisi accurate custodiantur, novisque legibus opportune iterum, atque iterum confirmentur, sensim posthabita, ac neglecta, deinceps distrahi, atque ad interitum perducunt. Et nos qui privatam, dum adhuc in minoribus essemus, Bibliothecam nobis construentes, quo meliori potuimus, ordine cavimus, ne quidquam imposterum deperiret, in hac Sacrosancti Apostolatus specula plane immerentes per divine bonitatis abundantiam constitutos, maxime decet, ut majori sedulitate, ac vigilantia omnes Apostolicae auctoritatis, providentiaeque nostrae partes ad perpetuam ejusdem Vaticanae Bibliothecae tutelam, praesidiumque, ac rectum ordinem colloceamus.

Inscriptio a Sixto V. Portae Bibliothecae supposita.

§. 4. Hinc est, quod nos praedicti Sixti Praedecessoris vestigiis inhaerentes ipsius Sixti tam inscriptionem ad dexteram Portae Bibliothecae praedictae suppositam hic ad perpetuam memoriam inferimus quae est tenoris sequentis videlicet: Sixtus V. Pontifex Maximus Bibliothecam Apostolicam a Sanctissimis prioribus illis Pontificibus, qui Beati Petri vocem audierunt, in ipsis adhuc surgentis Ecclesiae primordiis inchoatam, pace Ecclesiae reddita Laterani institutam, a posterioribus deinde in Vaticanam, ut ad usus Pontificios paratior ef-

B b b 2 set

set translata, ibique a Nicolao V. auctam, a Sixto IV. insigniter exultam, quo Fidei nostrae, & veterum Ecclesiastica disciplina rituum documenta omnibus linguis expressa, & aliorum multiplex Sacrorum copia librorum conservaretur ad puram, & incorruptam Fidei, & doctrinae veritatem perpetua successione in nos derivandam, toto Terrarum Orbe celebrandam, cum loco depresso, obscuro, & insalubri sita esset, aula perampla, vestibulo, cubiculis, circum, & infra, scalis, Porticibus, totoque edificio a fundamentis extructo, subsellis, pluteisque directis, libris dispositis in hunc editum, perlucidum, salubrem, magisque opportunum locum extulit, picturis illustribus undique ornavit, liberalibusque doctrinis, & publica studiorum utilitati dicavit an. 1587. Pontificatus IV. quam eisdem Decretum ad lavam quoque appositum tenoris, qui sequitur: Sixtus Quintus Pont. Max. Perpetuo hoc Decreto de libris Vaticanae Bibliothecae conservandis, quae infra sunt scripta, hunc in modum sancita sunt, inviolateque observentur. Nemini libros, Codices, volumina huius Vaticanae Bibliothecae ex ea auferendi, extrahendi, aliove aportandi non Bibliothecario, neque Custodibus, scribisque, neque quibusvis aliis cuiusvis Ordinis, & Dignitatis, nisi de licentia Summi Romani Pontificis scripta, manu facultas esto. Si quis fecerit, libros, partemve aliquam abstulerit, extraxerit, creperit, raperitque, conculserit, corruperit dolo malo, illico a Fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto; a quoquam praeterquam Romano Pontifice, ne absolvitur: non solum quoad libros, Codices, Volumina tunc temporis ab ipso Sixto Praedecessore in eandem Bibliothecam illata, & recondita tenore praesentium Apostolica auctoritate confirmamus; verum etiam quoad omnes, & singulos Codices, manuscriptos, libros impressos, volumina, numismata, vasa, statuas, & quaecumque alia, sive quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, ac nobis ipsis, & quibuscumque personis cuiusvis status, gradus, & conditionis quocumque tempore hactenus donata, & empta, sive in posterum, ut praemittitur, donanda, & emenda, & in eandem Bibliothecam invehenda, dummodo tamen postquam illuc inuenta fuerint, in Indicibus, seu Syllabis librorum, rerumque Bibliothecae praedictae descripta, & adnotata reperiantur, tenore, & auctoritate paribus sub iisdem poenis, & censuris a Sixto praedicto Praedecessore in iudicis extendimus, & ampliamus.

§.5. Praeterea ne Apostolicae providentiae, ordinationis, ac regulae alias sapientissime constitutae, lapsu temporis cum eisdem Bibliothecae detrimento in desuetudinem abeant, non solum omnes, & singulas leges pro recta administratione, & conservatione tum a praefatis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, tum a S.R.E. praedictae Cardinalibus pro tempore

Decretum eisdem Sixti confirmat, & ad res postea in eam introductas extendit.

Leges in antecessum lapsas perpetuo praecipit observari.

existentibus Bibliothecariis, seu eisdem Bibliothecae Protectoribus praescriptas, dummodo iis, quae mox statuenda sunt, non adversentur, iterum renovamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, de novo ferimus, & promulgamus, verum etiam tenore, & auctoritate similibus statuimus, & in posterum perpetuis futuris temporibus servari mandamus.

§.6. I. Ac primum quidem omnia, & singula per alias nostras in simili forma Brevis literas in deputatione tam Primarii, quam Secundi Custodis expeditas cuilibet ipsorum injuncta juxta eorumdem literarum seriem, & tenorem omnino praestentur.

§.7. II. Antequam utriusque Primario scilicet, & Secundo eisdem Bibliothecae designato Custodi per S.R.E. praedictae Cardinalium Bibliothecarium, seu eisdem Bibliothecae Protectorem pro tempore existentem in ipsa Bibliotheca detur, sive seorsim, sive conjunctim muneris demandati possessio, conficiatur Repertorium, seu Inventarium omnium, & singularum rerum, ac librorum in praedicta Bibliotheca existentium, de quibus omnibus, & singulis, cum opus fuerit, ipsi Custodes omnimodam reddere tenentur rationem. Repertorii, seu Inventarii hujusmodi tum ab altero Custode, a quo possessio adenda est, tum a Tabellione, seu Notario subscribendi duplex exemplum fiat, alterum in Actis eisdem Tabellionis, seu Notarii, alterum in Archivio Bibliothecae praedictae custodiendum, semel pro uno Custode factum (nova tamen earumdem rerum, librorumque praecedente recensione, additaque aliarum fortasse rerum, & librorum de novo illatarum, & illatorum accessione) eodem pariter modo subscribatur ab altero Custode, & Tabellione, seu Notario in possessionis hujusmodi additione.

§.8. III. Claves Indicium, seu Syllabarium Codicum manuscriptorum, librorum impressorum, aliarumque rerum sit penes utrumque Custodem, exceptis Clavibus eorum Armatorum, in quibus solita vetustatis monumenta exteris hominibus inspicienda, admirandaque exhibentur, haec quidem Claves ad effectum hujusmodi, & eorumdem hominum ceterorum commodum Conservatoribus vulgo Scopatori ad ipsorum Custodum arbitrium tradi possunt. Verum, ut longior in aperiendis, ocludendisque tot Armariis, in quibus tam diversa Codicum, librorum, rerumque pulcherrimarum copia recondita est, mora auferatur, & major rerum ipsarum custodia habeatur, & major rerum ipsarum Armaria conferantur, recondanturque ea scilicet, quae ut praemittitur, spectanda sunt.

§.9. IV. In Bibliothecam aditus, vel accessus, quemadmodum usque ad hanc diem mos tenet, unicuique iis de mane dumtaxat pateat diebus, in quibus Custodes, Scriptores, alique Ministri suis muneribus functuri per integrum trium horarum spatium interesse debent, quo sane tempore elapso, omnes, ac praesertim exteros

Jubet ea praestari, quae Custodibus mandata sunt.

Inventarium faciendum, & subscribendum a Custodibus in adenda numeris possessione.

Indicium Claves papae Custodes semper sint, rerum vero quae exteris hominibus inspicienda exhibentur Conservatoribus tradi possunt.

Nemini pateat aditus ad Bibliothecam nisi statutis diebus & horis.

Quibus diebus Ministri Bibliothecae ad eam non accedunt, nisi Conservatorum ad eam accedat pro rebus bene dispositis.

§.10. V. Praeter dies in ludiculis per dilectum filium nostrum Angelum Mariam S.R.E. Cardinalem Quirinum nuncupatum modernum Bibliothecae praedictae Protectorem approbato, actypis edito, & in Aula, quae dicitur Scriptorum, proposito descriptos, in quibus omnes, ut praesertim, Ministri matutinis horis ad ministerii sui oneribus faciendum satis Bibliothecam adire tenentur, alter tantum Conservatorum, seu Scopatorum in reliquis diebus feriatis, tam de mane, quam post meridiem per hebdomadam, sive alternis diebus illuc accedat, ut inspicat an omnia bene se habeant, eaque disponat, quae ad tutam rerum omnium custodiam necessaria sunt.

§.11. VI. Si contingat, quemcumque ex antedictis ministris nulla legitima causa impeditum ea, qua par est, frequentia, ac debita sedulitate per statos dies Bibliothecae non adesse, aut officio suo non satisfacere, certior fiat Cardinalis Bibliothecarius, seu Protector, qui delinquentem admoneat.

§.12. VII. Ob ingentem copiam Codicum linguis fere omnibus manuscriptorum tum diuturni temporis notis, tum rerum abditarum singularitate insignium, quibus praeter libros typis impressos propter multiplicitatem, elegantiamque editionum praestantiam plurimi habitos, cum data Bibliotheca Vaticana reperitur, cum factum sit, ut undique concurratur ad exempla ex ipsis autographis sive exscribenda, sive aliunde sumpta cum iisdem conferenda, variantibusque lectionibus illustranda, id nullo pacto nisi de Romani Pontificis pro tempore existentis facultate in scriptis data permittatur, dummodo descriptio, sive Collatio hujusmodi non foret de rebus non tam gravis momenti, tunc enim facultas, solitis tamen obstricta legibus, penes custodes dumtaxat esto. Verum nolumus, imo expresse prohibemus, descriptiones collationesque praedictas, facta etiam, ut praemittitur, describendi, conferendique potestate, fieri iis diebus, in quibus non solum sunt in Bibliotheca Feriae, verum etiam uterque Custos fortasse aberit, ab altero enim eorum tradendi sunt Codices manuscripti, qui sub utriusque Custodia, ut praemittitur, habentur.

§.13. VIII. Utriusque Custodi, sicut injungimus, ut nullo pacto sinant, scriptores, atque alios Bibliothecae Ministros per dies Bibliothecariis muneribus addictos in alia quaecumque, praeter ea ad eisdem Bibliothecae utilitatem conducentia, & proficua ministeria incumbere, ita eorumdem arbitrio relinquimus, ut, si expediens censuerint, alicui ex scriptoribus opus publica luce dignum fortasse aggresso interdum in diebus etiam hujusmodi in illo dumtaxat adorando immorari indulgeant. Prodest enim Bibliothecae, ut eos habeat scriptores, qui non venales, & mercenarios pro aliis; sed praecarios ingenii labores ad publicam utilitatem conferant.

§.14. IX. Collationes, descriptiones

Quibus diebus Ministri Bibliothecae ad eam non accedunt, nisi Conservatorum ad eam accedat pro rebus bene dispositis.

Ministri negligentes a Cardinali Protectore admonendi.

Codices praestantiores non conferendi, & nisi de licentia Summi Pontificis.

Collationes vero non faciendae, nisi alteruter Custos sit praesens.

Horum arbitrio dandi Ministris, ut publice intendant utilitati.

que quaecumque, sed praesertim ex Codicibus manuscriptis faciendae in eadem ante Bibliothecam Aula in Custodum scriptorumque conspectu fiant, ne manuscripti Codices quovis modo corrumpantur, aut folia lacerentur, vel decerpantur. Qua super re a Custodibus omnem requirimus, iisdemque injungimus diligentiam.

§.15. X. De manuscriptis omnibus Codicibus alio quacumque ex causa transferendis, & cuicumque, commodandis Sixti praedicti Praedecessoris Sanctionem sub iisdem poenis, & censuris renovamus. De libris vero excussis eadem prorsus ratio, & consuetudo usque ad hanc diem retenta, firma remaneat.

§.16. XI. Cum erronea haereticorum, aliorumque Auctorum scripta, ac libros pro eorum perpetua damnatione in Scribiis S.R.E. reservari mandasset Concilium Romanum Anno septingentesimo quadragesimo septimo sub sanctae Memoriae Zacharia Romano Pontifice itidem Praedecessore nostro celebratum, ac propterea in eadem Vaticana Bibliotheca magna codicum, librorumque hujusmodi suppellex recondita reperitur. Nos per alias pariter nostras in simili forma Brevis literas perpetuis futuris temporibus valituras, quas tenore praesentium iterum confirmamus, satis consulimus, quoad Custodes, aliosque Bibliothecae praedictae inservientes, quoad exteros vero nemini, nisi cui ab Apostolica hac S. Sede facultatem impartitam fuisse constiterit, aut legendi, aut describendi codices, librosque prohibitos, copia fiat.

§.17. XII. Insignibus Bibliothecis detrimentum, atque interitum ex incuria custodiarum a furibus, & ab ignibus allatum fuisse memores, praecipimus, ut accurate Portae, Fenestraeque ocludantur, neque unquam ignes facesque in Bibliothecam praedictam deferantur, minus vero noctis tempore Codices, volumina, libros, ceteraque inibi contenta cuicumque persona cuiusvis auctoritatis, & conditionis adhibitis luminibus ostendere quivis audeat.

§.18. XIII. Quod antiquis antequam Typographica ars inventa esset, in more positum erat, ut res majoris momenti perpetuae memoriae ad posterorum utilitatem consignanda in membranis, pergamenisque chartis potissimum scriberentur, unde quaecumque illustrium Virorum pauca habemus, monumenta vetustatem temporumque injurias vicerunt, in Bibliotheca Vaticana, quae praeteris ob ingentem Codicum in membranis, pergamenisque Chartis tam scite exaratorum multitudinem maxime commendatur, quantum fieri potest retineatur; cum sive exempla ex vetustissimis in vili charta descriptis Codicibus nondum impressis, atque adeo blattis, Tineisque corrosis, ne pereant, instauranda, sive nova auctorum opera ceteroquin luce dignissima, quomodocumque lucem non visura, sunt describenda.

§.19. XIV. Praeterea in deputatione cuiusvis Scriptoris in posterum faciendae omnino restituatur, ac servetur consuetudo pau-

Collationes &c. in Custodum conspectu faciendae.

De Codicibus commo-dandis Sanctio Sixti V. servanda.

Codicum, Librorumque prohibitorum invisorum facultas Rom. tantum Pontifice alia facultas.

Ignes, facesque nec de nocte in Bibliothecam inducendae.

Opera majoris momenti in pergamenis scribenda.

Officio Scriptoris vacante Candidari per concursum probandi.

In emendis Libris aditiones præstantiores comparandæ.

Cardinalibus Bibliothecariis data facultas alias opportunas faciendi leges.

Præsentibus Literis perpetuum dat firmitatem præstitæ.

Dat. die 24. Augusti 1739. An.X.

paucis ab hinc annis interrupta, candidatos nimirum scriptoris officium ambientes per plurium concursum, ut dicitur probandi, perfecte ne linguam, cujus munus obituri sunt præter linguam latinam in qua debent omnes esse non mediocriter versati, calcant; politiori etiam, elegantiorique ejusdem linguæ præter latinam pariter, Stilo manuque in exarando præstantiores sint.

§.20. XV. In emendis quoque libris editiones elegantiores, correctioresque juxta dignitatem, auctoritatemque Vaticanæ Bibliothecæ undique conquirantur, atque ii maxime libri adhibita omni diligentia, comparentur, qui ad Orthodoxæ Religionis præsidium, subsidiumque salutare, & proficui existimantur, nec tamen omittantur libri aliarum bonarum artium, ac doctrinarum, ut Bibliotheca Apostolica omnium celeberrima magis magisque in dies increfcat, & adaugeatur.

§.21. XVI. Cetera denique si quæ in futurum novis per temporum vices legibus, ordinationibusque indigere compertum fuerit, ordinanda relinquimus moderno, ac pro tempore existentibus S. R. E. Cardinalibus Bibliothecariis, seu Bibliothecæ laudatæ Protectoribus, quos etiam rogantes, iisdem infimul committimus, & mandamus, ut debitam, fidelemque omnium, & singularum legum, ordinationumque per easdem præsentibus nostras literas præscriptarum executionem, & observantiam curent, promoveant, atque ab iis, quorum interest, fortiter, suaviterque exigant.

§.22. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Anno Piscatoris die 24. Augusti 1739. Pontificatus nostri Anno X.

CCLXIV.

Confirmatio Ordinationis Abbatis Generalis Ordinis Canonicorum Regularium S. Antonii Viennen. super prohibitione gestandi scitiam Cæsariem.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alas prohibicum Canonicis hujus Ordinis sub pena privationis officii gestandi scitiam Cæsariem.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Petrus Verger modernus Procurator Generalis Ordinis Canonicorum Regularium S. Antonii Viennen. pro parte etiam dilectorum Filiorum Nicolai Gasparini Abbatis Generalis, & Definitorum dicti Ordinis, quod alias ad auferendum ab usum, qui inter nonnullos prædicti

Ordinis Canonicos Regulares irreperere ceperat utendi scitiam Cæsariem vulgo Parvula illamque publice gestandi, die 20. Aprilis 1715. tunc existentes Abbas Generalis, & Definitores Ordinis prædicti sub pœna formalis inobediencie per suum Decretum prohibuerunt, ne Canonici Regulares prædicti Ordinis crinitie prædicta uterentur, quod a Capitulo generali ejusdem Ordinis Anno 1720. celebrato, confirmatum fuit adjecta in dicto Capitulo pœna privationis cujuscumque dignitatis, & officii dicti Ordinis per transgressores, seu inobedientes incurrenda, & subinde per aliud Decretum a Definitorio Ordinis hujusmodi die 14. Septembris 1727. editum primordistum Decretum renovatum remansit.

§.2. Insuper his non obstant, cum abusus hujusmodi sensim magis, magisque in dies augeri videatur, d. Nicolaus Abbas Gen. die 11. Jan. proxime præteriti de eorumdem Definitorum unanimi voto, & assensu novam ea super re ordinationem edidit, qua præmissa non solum confirmavit, & innovavit, verum etiam de novo intimavit, decernens in contravenientes pœnam suspensionis ipso facto incurrendam, eidemque pœna subiciens Canonicos Regulares prædictos Cæsariem hujusmodi utentes, nisi illam intra terminum unius anni deponerent, prout continetur in ejusdem Nicolai Abbatis Generalis ordinatione, tenoris, qui sequitur, videlicet: Nicolaus Gasparini Dei, & S. Sedis Apostolicæ gratia Abbas Incl. tæ Abbatia S. Antonii Viennen. necnon Canonicorum Regularium S. Augustini Ordinis ejusdem S. Antonii Magni Abbatis Superior Generalis. = Ad supremum Sancti Ordinis nostri regimen, imparibus licet meritis, Divina id jubente Providentia, vocati; Sacrum religiosæ disciplinæ depositum illibatum, atque inviolatum servare, occurrentibus difficultatibus non deterriti, alacri animo, toto affectu, & tota mentis contentione intendimus, atque erecta in Deum fiducia semper intendimus: illudque præcipue considerantes, Nobis præter communem omnibus Pastoribus vigilantia curam, impositum esse onus sartam testam custodiendi laudabilem Reformationis nostræ, elapsis ab hinc circiter seculo institutæ, formam. Verum pro dolor! ubi primum ex hac nostra laboriosa sollicitudine fructum aliquem Nos accepturos speramus, sepe comperimus, malum hominem non desistere, quominus pravi operis semina jaciatur, quæ bonum semen obruant. Mala autem semina vocamus abusus, & corruptelas identidem renascentes; quos quidem eradicare eo magis studere debemus, quo abundantius repullulant. Quis vero inter hujusmodi abusus invalescentem in dies quorundam Canonicorum nostrorum morem non computet, ab ipso naturali capitis præsidio, comas sibi adscititias comparandi sub vano, vel salutis corporalis conservandæ prætextu, germani capillitii supplendæ raritatis, vel etiam, ut nonnulli ajunt, proprii commodi gratia? Nam præterquam, quod hac

Ab Abbate generali renovata antiqua Statuta, additæque pœna suspensionis contra inobedientes.

ni-

lica communi petiti procurator Generalis.

Eam itaque confirmat Clemens.

Sicque in perpetuum præcipit observari.

Disiam Legem sub vasis prætextibus inobervatam a nonnullis auctoritate Aposto-

nimum delicata agendi ratione, videntur velle Personarum Secularium habitum, qua potis est via, amulari, infirmisque, proinde scandalum ponunt, præter id inquam, cogitare debent illi, non decere Homines Religiosos, præsertimque Reformatos tantam in curanda cute cautionem adhibere, cum per professionem suam his vite commoditatibus quantumvis per licitis votum remiserint. Sed quorsum Professionis Religiosæ obligationes commemoramus? Quandoquidem constat Canonibus Sacris, & Pontificiis Sanctionibus vetitum esse viris omnibus Ecclesiasticis, ne, textilem Cæsariem capiti circumponant, quas certe Regulas mandatis Episcoporum quamplurimum renovatas palam est vigere multis in Diocesisibus.

Hunc porro, quem insectamur, ab usum sublatum cupiens Venerabile Definitorium Decretum ediderat vigesima Aprilis die anno 1715. quo sub pœna formalis inobediencie interdicebatur apud nos scitiam capillamentæ (Gallice Perruques) Quam legem confirmavit Generale Capitulum anni 1720. Sess. 13. imponens præterea, transgressoribus pœnam privationis cujuscumque dignitatis, & officii in ordine decreto Venerabilis Definitorii sub data 14. Septembris anni 1727. dein renovatam.

Attamen non sine intimo cordis dolore advertimus, plures e Canonis nostris tam gravis, & tam sæpe iterati præcepti immemores esse, vel forte, quod pejus est, ipsum parvi pendere.

Hac igitur de causa de RR. PP. Definitorum consilio, & assensu unanimi, ne videamur silentio nostro subditorum favore inobedienciam, imo, ut etiam recrudescenti malo fortiora opponamus medicamenta, hocce præsentibus mandato innovamus, & denuo intimamus Decreta tum Venerabilis Capituli Generalis, tum Venerabilis Definitorii supra laudata, & insuper jubemus, ut nemo ea transgredi ultra audeat, aut comas adscititias, vulgo Perruques dictas assumat, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. Circa eos autem, qui hujusmodi comis scitiam, seu Perrucis nunc utuntur, decernimus, ut nisi eas deposuerint intra annum a præsentium intimatione computandum, simili suspensionis pœna exemplo subiaceant, stricte injungentes omnibus, & quibuscumque respectively Domorum Nostrarum Superioribus, ut præsens decretum in Oratorio publice legi, in libris insinuationum inseri, ac sedulo observari curent, nosque de prædictorum executione certiores faciant. Datum apud S. Antonium Viennen. sem die 11. Januarii anni millesimi septingentesimi trigentesimi noni = N. Gasparini Abbatis Generalis S. Antonii = De mandato præfati Rni Abbatis generalis S. Boudet. Def. Secr. loco * Sigilli.

§.2. Quoniam autem, sicut dictus Petrus Procurator generalis nobis subinde exponi fecit, Ordinatio præinserta ad regularis disciplinæ mantentionem necessaria debita executioni adhuc demandata,

non fuit, ex eo, quod quidam ex prædictis Canonis Regularibus, sive in hac Alma Urbe Nostra, seu in Avinionen aliisque Civitatibus existentes, sub scitis, & ementitis, vel saltem vanis, & subtilibus prætextibus Cæsariem hujusmodi utendi licentiam a nobis, seu nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis reportaverint, quod cum Religiosæ modestiæ, regularique observantiæ contrarium, tum nihil sæpius nihilve strictius tum a Sacris Canonibus tum per Concilium Tridentinum, ordinisque prædicti statuta præceptum existit, dedecetque viris regularibus eo uti ornamento, Proinde dictus Petrus Procurator Generalis Ordinationem prædictam per Nos confirmari, ac in præmissis oportuno indulgeri, providerique per nos plurimum desideret.

§.3. Nos ipsum Petrum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus suo, & eorumdem Abbatis Generalis, & Definitorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertam Ordinationem a memorato Nicolao Abbate Generali de unanimi dictorum Definitorum voto, & assensu, ut præfertur, factam cum omnibus, & singulis in ea contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, dicta auctoritate supplemus, & sanamus, necnon quascumque licentias, & facultates gestandi Cæsariem prædictam per quoscumque dicti Ordinis Canonicos Regulares tam a Nobis, quam a Nostris, & Sedis prædictæ Nunciis, seu a quibusvis aliis sub quavis causa, ratione, & prætextu obtentas, & pro tempore obtinendas, per præsentibus auctoritate, & tenore prædictis annullamus, cassamus, & irritamus, viribusque, & effectu evacuamus, ac annullatas, cassatas, & irritas, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse declaramus.

§.4. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respectively inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam, de latere Legatos, & d. Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam qua-

Contraria tollit.

quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Sept. 1739. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 9. Septembris 1739. Pontificatus nostri Anno X.

CCLXV.

Confirmatio Regularum pro Monachis Græcis Melchitis nuncupatis Congregationis S. Joannis Baptistæ in Soairo in Monte Libano, Romæ degentibus ad S. Mariam in Domnica, quæ Ecclesia cum omnibus dependentiis eisdem conceditur.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Procurium.

SOL. Iustitiæ Jesus Christus Fidei nostræ Auctor, & consumator, qui sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumptis eos, atque portavit in humeris suis, Gallinæ quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos assumere voluit, inter præcipua divinæ caritatis ornamenta Catholica Ecclesiæ Sponsæ suæ legata hoc præ ceteris in sine commendare dignatus est, ut tanquam communis omnium fidelium mater ex universis, quæ sub Cœlo sunt, nationibus filios ad ipsius sinum accurrentes amantissime exciperet, ac fovaret. Ea propter Romanæ Ecclesiæ Summi Pontifices Prædecessores nostri, quos suos in Terris Vicarios usque ad consumationem sæculi constituit Pastorum Princeps, ejusdem exemplis ea, qua decet, veneratione semper obsequentes, non solum Populos e remotissimis, ac diffitis Regionibus ad omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistratam venientes benignissime complexi sunt, verum etiam in omnes orbis Terræ partes Apostolicos viros, qui undique conquirent, allicerent, atque ad ipsam deducerent filios, mittere consueverunt. Nos autem quibus nullum est jucundius solatium, quam, ut Romanæ Ecclesiæ per spirituale connobium Nobis desponsæ, eos etiam demum filios, qui licet alibi nati, hic tamen instituti, ad fratres suos communi matri conciliandos aliquando pergant, nunquam

omissimus, quin laudatissima eorumdem prædecessorum nostrorum studia consecraremur.

§.1. Enimvero inter alios diversarum nationum dilectos filios, quibus in hac Alma Urbe nostra, & alibi opportuna Apostolica benignitatis commoda impertiti sumus, dilectis itidem filiis Monachis Græcis Melchitis dictis Congregationis Sancti Joannis Baptistæ in Soairo in Monte Libano, qui e Phœnicia, sive Syria Romam appulerunt, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Domnica, seu Domnica vulgo della Navicella de dilecti filii nostri Nicolai S.R.E. Presbyteri Cardinalis Coscia nuncupati ejusdem Ecclesiæ Titularis consensu, die 23. Julii anno 1734 concessimus. Ecclesiæ vero adjectarumque eidem parvarum eorum, rerumque Sacrarum, & prophanarum possessionem illi die 29. ejusdem mensis, & anni adierunt.

§.2. Interea temporis nonnullas sibi Regulas pro debita juxta eorumdem Institutum regularis disciplinæ observantia præscriperunt. quas cum dilectus pariter filius noster Ludovicus S.R.E. præfate Presbyter Cardinalis Belluga nuncupatus accurate perpenas probasset, Apostolicæ etiam auctoritatis nostræ confirmatione dignas existimavit, earumdem autem tenor est, qui sequitur videlicet.

Regulæ pro Monasterio S. Mariæ in Domnica Monachorum Græcorum Melchitarum Congregationis Sancti Joannis in Soairo nuncupate.

§.3. I. Cum hoc Monasterium S. Mariæ in Domnica a Sanctissimo Domino nostro Clemente XII. Pontifice Maximo, ad propagandam, conservandamque Religionem Catholicam Romanam apud Melchitas Græci Ritus in Syria Monachis Catholicis ejusdem Nationis Congregationis S. Joannis in Soairo concessum sit, dabit operam ejusdem loci Abbas, ut ex Monachis, quos de familia perpetuo habere debet, nonnulli Religiosi ad literarum studium deligantur, quæ completo prompti, paratque sint ad eas Missiones obeundas, ad quas illos S. Congregatio de Propaganda Fide mittendos judicabit.

§.4. II. Oneratur conscientia Abbatis Generalis, ne Romam mittat, nisi Monachos jam professos, singulari pietate ornatos, moribus integerrimis præditos, & optima corporis valetudine instructos: ii vero, qui ad studia erunt designati, nec sint ætate minores annis duodeviginti, nec majores annis quadraginta. Omnes præterea debent, vel esse Sacerdotes, vel ad Sacerdotium ætate a Sacris Canonibus præscripta, hic in Urbe ab Episcopo Græci Ritus promoveri.

§.5. III. Unusquisque dimissorias Abbatis Generalis secum deferre teneatur, quæ statim Eius Dño Protectori erunt exhibendæ. Is autem semper erit unus ex Cardinalibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, cujus directioni, ac regimini tam Monachi, quam Monasterium præfatum S. Mariæ in Domnica subiaceat.

§.5. Si-

Ecclesia S. Mariæ in Domnica Monachis Soaritis data.

Regulas ii sibi constituerunt.

Monachi post studia præsti debent esse ad obeundas Missiones.

Qualitates requirende in Monachis Romanam ab Abbate Generali mittendis.

Unus ex Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide huic Monasterio datur in Protectorum.

Juramentum a Monachis studentibus præstandum.

§.6. IV. Simul ac Romam pervenerint, expleto mense spiritualibus exercitiis, decem, vel octo dierum spatio diligenter incumbant: quibus peractis, qui ad studia sunt destinati, coram Abbate Juramentum præstent juxta formulam hic appositam, exhibendum postea in proprio Autographo Sacræ Congregationi de Propaganda Fide. = Ego N. N. Monachus professus Congregationis Monachorum Græcorum Melchitarum S. Joannis in Soairo nuncupate juro, & promitto in manibus R. P. N. N. Abbatis Monasterii S. Mariæ in Domnica, me ab hoc Monasterio non discessurum, neque discedere curaturum mediate, vel immediate per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitima causa admittenda ab Eius, ac Eius Dño Cardinali Protectori. Insuper pro fide Catholica propugnanda ad eum locum sine repugnantia me iturum, ad quem a Sacra Congregatione de Propaganda Fide destinatus fuero. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Tempus moræ per singulos Monachos a hoc Monasterio faciendæ.

§.7. V. Tam studentes, quam ceteri Monachi ultra octo annos in prædicto Monasterio morari non poterunt. Quod si aliqua urgeat necessitas, & ratio exposulet, ut aliquis eorum vel perpetuo, vel ad aliquod certum tempus, ultra octo illos annos, moretur, facultas omnino ab Eius Protectori petatur, excepto Abbate, cujus mora in hoc Monasterio, vel regressus in Syriam a Generali Abbate dependet.

Cui Monachi, & Abbas subiecti esse debeant.

§.8. VI. Omnes sint subiecti Abbati Generali in Syria residenti, itemque Abbati, qui ab eodem in prædicto Monasterio constituitur. Abbas autem ad hoc Monasterium destinatus patentes suas literas Eius Protectori exhibebit. Nec Abbati vero, nec aliis liceat aliquem Monachum in Syriam, nondum completis octo annis, abique facultate, & consensu Eius Protectoris dimittere.

Regulæ, & Ritus inibi observandi.

§.9. VII. Omnes diligenter observent Regulam, & Monasticas Constitutiones, quæ apud reliquos ejusdem Congregationis Monachos Græcos Melchitas in Syria vigent, & solent observari. Præterea servent Ritus Græcorum a S.R.E. approbatus juxta Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, tam quoad Sacram Liturgiam, ac divina officia, quam quoad jejunia.

Cura Abbatis de Monachis.

§.10. VIII. Monasterii Abbas Monachos de rebus omnibus necessariis provideat, & in iis, quæ ad victum, & vestitum spectant, quoad fieri poterit, consuetudinem ceterorum Syriæ Monasteriorum sequatur.

Studia, quibus incumbere debent.

§.11. IX. Docentur Monachi præter linguam Arabicam, & Græcam, etiam Superiores scientias, videlicet Dialecticam, Philosophiam, ac Theologiam tam Moralem, quam Polemicam. Quod si contingat, ut aliquis idoneus ad linguam latinam habeatur, permittat Abbas, ut ille in Monasterio ultra annos præscriptos, alterum annum, vel duos etiam commoretur, habita tamen Eius Protectoris facultate.

§.12. X. Lectiones tum linguarum, Bull. Rom. Tom. XIV.

Methodus studiorum præscripta.

tum scientiarum in publico loco sunt habendæ per quinque dies qualibet hebdomada, exceptis diebus festis, necnon vacationibus, quas Eius Protector describi in Catalogo jubebit; horis quidem antemeridianis per horam cum dimidio; horis vero pomeridianis per unam horam; ita tamen, ut horarum canonicarum in Choro ab omnibus simul pensum quotidianum persolvatur.

Tempore Lectionum domo egredi nemo debet nisi exurgenti necessitate.

§.13. XI. Prohibentur Lectores, & Studentes vel se a quotidianis lectionibus eximere, vel domo diebus sibi ad studium statutis, sub quocumque prætextu, vel causa exire, nisi post completas lectiones, absolutasque ceteras exercitationes die illa peragendas. Primo Monasterii tamen necessitate permittitur Abbati Sacerdotes studentes ad Sacram Liturgiam celebrandam extra domum destinare ad summum duos per hebdomadam, ita ut in sequenti alii duo primis succedant.

Studentes officii distractivis non onerandi.

§.14. XII. Studentes officii distractivis non onerentur, ut puta Procuratoris, Cellerarii, & similibus, quæ studiis literarum obesse credantur.

Visitatione Monasterii per Eminentissimum Protectorem, & Secretarium S. Congregationis de Propaganda faciendæ.

§.15. XIII. Quolibet semestri publicum habeatur examen circa cujusque studentis profectum coram Abbate, ceterisque Monachis Sacerdotibus: Semel in anno Eius Protector una cum R. P. D. Secretario Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, vel hic solus una cum aliquo linguæ Arabicæ, & Græcæ perito, necnon scientiarum, quibus Monachos operam dare contigerit, visitare Monasterium dignetur, ad explorandum studentium progressum, atque Monachorum statum agnosendum.

Quolibet die Dominico habenda Catechesis.

§.16. XIV. Omnibus diebus Dominicis singuli studentes per turnum in publico Monachorum Conventu concionem, seu Catechesim, vel solutionem alicujus casus conscientiæ, aut difficultatis ex Theologia Polemica habeant.

Completo studio cursu Monachi in Syriam transitendi.

§.17. XV. Completis annis octo, nulla interposita mora, Monachi studentes cum consensu Eminentissimi Protectoris, in Syriam ad Abbatem Gener. transmittantur; illosque idem Abbas generalis in illo Monasterio collocabit, prout magis expedire in Domino judicabit.

Hospitalitas servanda.

§.18. XVI. Peregrini Græci Melchitæ, qui ex Syria Palestina, & Ægypto ad Urbem, sacra loca visitaturi, accedunt, juxta religiose hospitalitatis regulam ad tri-duum excipiantur.

Approbatio Regulari per Card. Belluga.

§.19. Nos infra scripti Regulæ istas Monachis Græcis Melchitis Congregationis S. Joannis Baptistæ in Soairo nuncupate apud Ecclesiam S. Mariæ in Domnica habitantibus præscriptas, diligenter, accurate perpendimus. Cumque nihil contineant, quod orthodoxæ fidei, bonis moribus, aut disciplinæ monasticæ adversetur, dignas judicamus, quæ literis Apostolicis confirmantur. In quorum fidem hac die 3. Augusti 1739.

Ipsi Monachi eas confirmari petunt.

Ludovicus Cardinalis Belluga.
§.20. Quoniam Monachi prædicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi supradicta omnia,
C c c